



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Primis Et Ultimis Temporibus, Seu De Principio Et Fine Mundi

**Ulloa, Joannes de
Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1719**

§. 7. Reflexio supra totam hanc disputationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81404](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81404)

videtur; Vide, quæ ibi dixi. Nec propterea præsumimus scire diem, aut horam illam, quam vel Angelis ipsis ignotam esse asseveravit Dominus; tum quia *suspiciari non est scire*, ex vaticinio autem illo Zachariæ suspicamur quidem calculum, & horam dictam, sed quis est adeo audax, ut præsumat se ex illis verbis certò assequi, aut scire diem, vel horam illam? tum quia totus hic calculus trahit originem ex illa die 35. supra 1300. à Sacrificio Misæ per Antichristum abrogato, ut supra dicebam ex Daniele: Quis autem scit diem, in qua edictum illud infame publicabitur? Pudet repetere hoc, quod toties monui; sed aliquibus non sufficit semel rem audivisse.

§. VII.

Reflexio supra totam hanc Disputationem.

LXXX. **N**Otaveris me in tota hac Disputatione frequentissimè, & ferè usque ad nauseam usum fuisse his, aut æquivalentibus verbis. *Videtur: Fortè, Forsan &c.* Ratio fuit compositum quoddam ex his considerationibus. 1. Cùm ambæ hæ ultimæ Disputationes fuerint de rebus futuris, non aliunde scibilibus, quàm ex sacra Scriptura: Et hæc adeo enygmaticè loquatur de illis (præsertim quoad circumstantias) quâ fronte possumus definitivè, & absolutè loqui nos de ipsâ? *Quis sapiens, & intelliget hæc?* Sufficiet eminens, quæ cominus tractare manibus non licet, ad reverendum autem quamvis à longè, requiritur à longè saltem cognoscere. 2do. Juxta Jacobum, *Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est;* Hæc verò pudicitia, ut ex Carthusiano bene notat Cornelius, consistit præter alia in eo, quòd homo accedat, *non presumptuose, impudenter, ac temerarie ingerens se ad Divinorum, & incomprehensibilium perscrutationem*, qualiscunque autem nostra sapientia, licet longissimè distans ab ea, de qua Apostolus, à longè saltem eam imitari debet. 3tio. Sapiens antiquus Senatus Romanus in

suis Senatûs Consultis, & Senatores in suis exponendis sententijs, frequentissimè, ne dicam, semper utebantur verbo *Videor* v. g. Videtur è Republica esse; non videtur è Republica esse, si videbitur è Republica esse. *Videtur & hoc mihi, Carthaginem non debere esse*, ut semper dicebat Cato juxta Plutarchum: *Plutarchi in vit. Cat. paulò antè finem.* Econtra Scipio Nasica Perpetuò pronuntiavit, *Videri sibi Carthaginem debere esse.* Hic videtur sensatus modus loquendi de rebus, quæ nec metaphoricè, nec physicè, nec adhuc moraliter sunt evidentes. Atqui nullo ex his modis sunt evidentes circumstantiæ rerum futurarum in ultimo quadriennio, super quibus disputavi in his duabus Disputationibus, imò neque illatio illarum ex Scripturis, de rebus illis loquentibus. Ergo sensatè loquitur de illis, qui locutionibus utitur castigatis illo verbo *Videor*, aut illo *Forsan*, aut alio æquivalente. Quia verò frivola affectatio esset, omnibus, & singulis propositionibus inserere illa verba, hac de causa contentus fui spargere illa per totam Disputationem, jam hæc, jam illac, ut prudens Lector conijceret, quid judicarem reflexè de aliis assertionibus rerum, aut circumstantiarum futurarum, quibus, non adjungebam illa verba, tædij vitandi causa. Quod si è contrario alius, plus justò timidus, dicat fatius fore, silentio prætermittere ea, quæ certò affectu nequimus circa tempora illa, magnam quandam rem dicet. Nimirum suggillandos esse, quotquot graves Authores, antiqui, & moderni scripserunt de rebus illis; solos Canonicos excipiendos; & insuper cum res, de quibus habemus certitudinem immobilem, apud omnes sint adeo paucissima, expungendæ, atque abijciendæ essent omnes speculationes hinc inde agitatæ, atque controversæ, uniusque otio, aut contemplationi solarum rerum absolutè, ac simpliciter certarum vacandum esset. Solennis frigiditas. Meminisse debuerant hi, auctoritatis viri illius, qui scripsit: *Non solum illis agendæ sunt gratiæ, quorum opinionibus quis acquiescet, sed illis, qui superficium*

ciem

*Epist. Jac. 3
Alap. ibid.*

Arist. 2. Methaph. cap. 1.

ciem tenuis dixerunt. Et meritò: *Conferunt enim aliquid etiam isti, habitum namque nostrum exercuerunt.* Cujus veritatis exemplum apponit sibi. Satiùs itaque existimavi, vel superficiem solam leviter attingere magnarum rerum, quæ manent totam humanam sobolem in ultima periodo, quam certiora alia, sed minoris momenti disputare.

LXXXI. Jam ratio, quasi à priori, nempe prout capax est hæc materia eorum omnium, quæ sub dictis limitationibus asserui in his duabus disputationibus, quæque singulis applicanda est, quando de singulis occurrat sermo. Componitur ex his tribus membris. Imprimis Prophetiæ omnes sacræ, quas produxi circa ultima ea tempora, aliquando, & alicubi debent verificari; quia hoc debetur infallibilitati verbi Dei, & non apparet locus, tempus, & circumstantiæ opportuniore, quam illæ, in quibus verificanda fore dixi; vel cedo illas. Deinde neque ex naturâ ipsa rerum, neque ex præsentè Providentiâ, quâ Deus tum per se, tum per Angelos, tum per homines gubernat hunc mundum, affurgit ulla specialis difficultas contra sensum litteralem, & obvium eorum locorum sacræ Scripturæ (loquentis de magnis illis rebus futuris interdum sermone figurato sub symbolis, figuris, & metaphoris, & hieroglyphicis, quibus etiam aliquæ gentes locutæ sunt; interdum sermone simplici) ex quibus conjeci omnia & singula, quæ ut conjecturalia dedi. Deinde singuli casus particulares, & singulæ circumstantiæ, quas dixi, consentaneæ sunt illi sensui obvio, & litterali eorum locorum, ut illas cum his combinanti apparebit. Ergò prudenter videtur, quòd res illo modo erunt; seu, ergò forsân ita erunt. Quid contra hoc! num quòd res non est certa? jam dixi, quòd si solæ res exploratæ, & claræ tractandæ essent, abjici debeat maxima pars humanorum discursuum. Et nuper audivimus à Philosopho, quòd in quibusdam rebus, vel solam superficiem attingere, sufficit. Exercetur namque humana mens modò

per assensum promovendo novis rationibus illud idem, quod audit aut saltem novis conjecturis; modò per dissentium, excogitando conjecturas, aut rationes contra illud.

CAPUT V.

De statu hujus mundi post executionem Sententiam.

LXXXII. **D**Uæ tandem breviter expediendæ restant difficultates. Prima; qualis futurus sit status mundi hujus inferioris post reproborum præcipitium in infernum, & Electorum elevationem in cœlum? Respondeo, quod attinet ad incolas irracionales, nullus videtur futurus, quia naturaliter perire debent igne illo prævio cuncta animalia, etiam aquatilia in cujus signum projiciente Angelo quasi montè ardente in mare: *Mortua est tertia pars creature eorum, quæ habebant animas in mari.* Post judicium autem non resurgent, neque constat Deum creaturum alia de novo; nec videntur practicè necessaria ad ullum finem (fore autem necessaria ad pulchritudinem hujus mundi, nimis probat, & non constat eum habiturum determinatum illum pulchritudinis gradum, qui consistit in animalibus irrationabilibus) siquidem incolæ rationales tunc futuri pro nulla penitus re egeant, sicut nos egemus modò subsidio bestiarum, neque generabitur ullum animal ex putredine, quia cum mundus hic renovandus sit in æternum nullam habebit corruptionem, aut putredinem. Propter eandem rationem nullum restabit vegetabile. Complexum enim ex solis terra, aqua, & aère, puris ab omni forde, mixturæque rerum extranearum, prout tunc erunt, & prout modo non sunt, nisi accedat aliquod subsidium ex atomis, halitibus, vaporibus, exhalationibus vagantibus per superficiem terræ, & ascendentibus ex partibus interioribus, quorum nil dabitur tunc, siquidem cessatura est omnis generatio, & corruptio id generis. Complexum, inquam, illud etiam adjutum influxibus syderum, impar est producendo ullum vivens